

Rescripto de la Sagrada Congregación de Religiosos sobre circunscripciones territoriales del Opus Dei; 25-X-1948.

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

18/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, V/15609.

N. 10106/48

EX SECRETARIA

SACRAE CONGREGATIONIS

DE RELIGIOSIS

Beatissime Pater,

Alvarus del Portillo, Procurator
Generalis Instituti Opus Dei, ad
Sanctitatis Vestrae pedes humillime
provolutus, fiducialiter de mandato
Praesidis Generalis Instituti nostri,.
expostulat gratiam qua ipse
Institutum non tantum in Regiones -
uti iam benigne approbatum in
Constitutionibus n. 276 fuit-, sed
etiam in alias circumscriptiones
prout infra dividi possit:

1. °. Quasi-Regiones independentes,
id est, quae directe ab Instituti
Praeside Generali pendent.
Superiores Maiores earum

aequiparantur Superioribus
Maioribus Regionum, et ordinaria
quidem, sed vicaria Praesidis
Generalis potestate propriam quique
Quasi-Regionem regunt. Praeses
Generalis cum suo Consilio potest eas
erigere et erectas suppressimere vel
aliter definire, auditis eis quorum
intersit. Ad munera Commissionis et
Assessoratus nominat Pater (Const.
277). Ipso facto erectionis Quasi-
Regiones independentes iuridicam
acquirunt personalitatem (c. 531).

2.º. Quasi-Regiones dependentes a
Consiliario Regionali, cuius Regionis
hae novae circumscriptiones partes
sunt. Superiores maiores earum
habent ordinariam, sed vicariam
Consiliarii Regionalis, et illis insuper
gaudent facultatibus quae a
Consiliario Regionali, Patre
consentiente, fuerint delegatae,
Praesidis Generalis est Quasi-
Regiones dependentes erigere,
mutare atque suppressimere, auditis

Consilio Generali et Consiliario
Regionali cum propria Commissione.
Ad munera Commissionis et
Assessoratus Quasi-Regionalis
dependentis nominat Pater, audito
Consiliario Regionali una cum
propria Commissione vel
Assessoratu.

3.º. Delegationes quae a Praeside
Generali immediate pendent. Erigi
possunt quoties Praeses Generalis
cum suo Consilio id duxerit expedire.
Moderator uniuscuiusque
Delegationis nominatur a Patre et ab
ipso delegatam illam habet
potestatem, quam Pater iuxta casus,
intra limites tamen facultatum
Consiliariorum Regionalium,
committendam censuerit.

4.º. Delegationes dependentes a
Consiliario Regionali, cuius Regionis
partes sunt. Earum Moderatores illis
tantum gaudent facultatibus, quas
ipsis Consiliarius Regionalis, cum

voto deliberativo suae Commissionis et Patre probante, delegaverit. Erigi possunt a Patre, auditio Consilio Generali eisque quorum intersit. Moderatores nominantur a Consiliario Regionali, de consensu Commissionis vel Assessoratus Regionis, sed designatio a Patre confirmara debet.

Et Deus, etc.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita benigne annuit pro gratia iuxta preces, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Religiosis, die 25 octobris 1948.

+ fr. L. E. Pasetto

Secr.

P. Arcadius Larraona CMF

Subs.

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/rescripto-de-la-sagrada-congregacion-de-religiosos-sobre-circunscripciones-territoriales-del-opus-dei-25-x-1948/> (01/07/2025)